



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XX. Soluuntur argumenta Caluini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

tempore Gregorij VII. cùm in Germania cœpissent sacerdotes vxores ducere, tantus contemptus Sacramentorum sequutus est, ut passim Laici Sacra menta administrarent, ~~Iohannes Naclerus~~, & alij referunt. Itaque meritò Epiphanius hæresi 59. dicit, propter honorem sacerdotij necessariam esse continentiam. Superest argumenta soluere. Ac pri mūm soluam argumenta Caluini codem ordine quo ipso proponit.

CAP VT XX.

Soluuntur argumenta Caluini.

ARGUMENTVM PRIMVM. Deus reliquit Matrimonium liberum, ergo nulli homini licuit prohibere, & confirmatur ex Apostolo 1. Tim. vbi notam hæretorum esse dicit prohiberentias.

RESPONDO, concedimus totum argumentum; neque enim Ecclesia prohibet Matrimonium, aut cogit ullum ad cœlibatum absolutè suscipiendum, sed solum requirit eam cōditionem in iis, qui initiari volunt sacris mysteriis, quam si quis nolit accipere, potest non accipere, sed nō initiantur. Quemadmodum non censetur Ecclesia prohibere iudicis forensis, nec officium tortoris, etiam si nolit talia ab Ecclesiasticis fieri. AD locum Apostoli dicimus cum Hieronymo lib. I. in Iouinianum, & Augustino lib. 30. contra Faustum, cap. 4. & 6. Ambrosio, Chrysostomo, aliiq; in hunc locum, notari ab Apostolo eos, qui absolutè nuptias ut malas prohibebant, quales fuerunt Tatianus, Marcion, & Manichæus.

SED fortè obiicient, quia Apostolus dicit id futurum in nouissimis diebus. RESPONDO, nouissimos dies intelligit totam hanc ultimam ætatem, quæ est à Christo usq; adiudicium. Nam Apostolus ait: *Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt.* 1. Cor. 10. Et: *Filioli nouissima hora est.* 1. Ioan. 2. Adde, quod vox Græca non est ἐχάροις, seu υγέροις, id est, non in ultimis, sed in posterioribus temporibus; neque id negare possunt aduersarij, nisi velint Manichæos, & Encratitas ab Apostolo notatos non fuisse, qui tamen apertissimè nuptias prohibebant. nec enim illi in ultimis temporibus
Sel.

Sed obiicit Petrus MARTYR in libro de cœlibatu, & votis monasticis, S. Augustinum, qui lib. 2. de moribus Manichæorum, cap. 18. & in epist. 74. ad Deuterium, testatur Manichæos non prohibuisse nuptias nisi electis suis, qui erant apud eos, quasi Sacerdotes, & Monachi: & tamen dicit eos notari ab Apostolo, cum ait, doctrinam esse dæmoniorum, prohibitionem nuptiarum.

R E S P O N D E O; idem Augustinus lib. 30. contra Faustum, cap. 6. scribit, à Manichæis interdictas nuptias simpliciter, quia etsi eas permittebant auditoribus suis, id faciebant, quia non poterat aliud obtinere: *Nec ideo, inquit, vos dicatis nō prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes, aut nō valentes, salva amicitia toleratis.* Hæc ille. Nos autem non solum toleramus Christianos coniugatos, sed etiam laudamus. Ac præterea Manichæi auditoribus suis sic nuptias permittebant ad explendam libidinem, ut tamen conceptum, & liberorum procreationē cauendam esse monerent. Quod est nuptias apertissimè detestari. Catholici autem ideo potissimum nuptias laudant, quod ad procreationem liberorum à Deo institutæ fuisse noscantur.

A R G U M E N T U M S E C U N D U M. Apostolus 1. Tim. 3. & Tit. 1. cùm absoluti Episcopi idem exprimeret, inter reliquas do- tes, & virtutes, quas in eo requirebat, ausus est coniugium ponere: ait enim, vnius vxoris virum esse eligendum.

R E S P O N D E O; falsissimum est, quod Apostolus inter do- tes, aut virtutes absoluti Episcopi ponat coniugiū: ad quod probandum sufficere deberet, quod quotquot SS. Episcopi hactenus fuerunt, omnes continentes fuerunt, ut supra diximus: quos certè nullo modo credibile est, aut non intellexisse verba Pauli, aut ei obtemperare noluisse. Præterea cùm idem Paulus 1. Cor. 7. hortetur ad continentiam, & dicat bonum esse innuptis & viduis, ut sic permaneant; & *Qui nubio bene facit, qui non nubis melius facit;* quomodo credibile est eundem Paulum inter dotes, & virtutes Episcopi posuisse ut vxorem habeat? Adde, quod non solum Chrysostomus, & alii Patres in hunc locum, docent, Paulum nō tulisse legem, ut Episcopi habeant vxores, sed solum ut non habeant, vel habuerint plures quam unam: sed etiam Martinus Lutherus in propositionibus de digamia, contendit ista verba: *Vniuersitas*

Vxoris

Vxoribus virum, esse accipienda negatiuè, non positiuè, iur
non teneatur Episcopus habere vnam, sed teneatur non ha-
bere plures fœminas vna cum vxore.

At, inquit Caluinus, Paulus ibidem, ubi descripsit quales debeant esse Episcopi & Diaconi, describit etiam quales debeant esse eorum vxores. RESPONDEO, Paulum, ubi dicit: Mulieres similiter pudica, &c. vel loquide mulieribus generatim, ut Ambrosius exponit, vel de Diaconissis, quae duæ erant, ut Chrysostomus & Theophylactus docent, vel loquatur de vxoribus Episcoporum, & Diaconorum, loqui de vxoribus, quas acceperant ante ordinationem, nō quas postea accepturi essent.

Argumentum TERTIVM. Apostolus Hebr. 13. citat exceptionem securè pronunciat, honorabile esse inter omnes coniugium: Cur non etiam inter Sacerdotes?

RESPONDEO, argumentum facile in ipsum retorquet posse, si enim coniugia omniū sunt honorabilia, etiam coniugia consanguineorum in primo aut secundo gradu erunt honorabilia, & coniugia adolescentium iniussu parentum contracta, erunt honorabilia, quæ tamen Caluinus improbat lib. 4. cap. 19. §. 37. Instit. Dico igitur, tribus modis possit exponi illud: In omnibus, Græcè εν ταῖστι. PRIMO, ut in omnibus, idem sit, quod omni ex parte, id est, coniugium honorabile est in omnibus, quæ coniugij sunt, sive Sacramentum, sive fidem, sive prolem consideres. ita Occumenius in hunc locū. SECUNDO, ut in omnibus, significet, apud omnes, id est, nemo debet coniugium reprehendere, etiam si virginitatem ipse profiteatur; ita videtur accepisse Fulgentius libro de fide ad Petrum, cap. 3. DENIQUE, in omnibus, id est, in omnibus legitimè coniunctis, quicunque illi sint, sive senes, sive iuvenes, sive nobiles, sive obscuri, sive Graci, sive Hebrei, &c. Ita Theophylactus in hunc locum, & hæc videatur magis literalis exppositio, sed parum refert.

Argumentum QVARTVM. Apostoli exemplo suo docuerunt, nullius quamvis excellentis functionis sanctitate indignum esse coniugium; nam eos vxores non solum habuisse, sed etiam circumduxisse, testatur Paulus 1. Cor. 9. cui loco etiam addi potest illud Philip. vlt. Rogo te etiam Ger-

MANE

mane compar adiuua illas, &c. Posset enim commode verti, Germana coniunx, quod Græcè scriptum est.

R E S P O N D E O, non esse omnino certum, qui ex Apostolis vxorem habuerint, & qui non habuerint. **T E R T U L I A-**
N v s libro de Monogamia, & beatus Hieronymus libro I. in Iouinianum existimant, præter Petrum, cuius socrum in Euangelio legimus, nullum alium Apostolorum vxorem habuisse. **S. I G N A T I V S** in epistola ad Philadelphienses dicit, Petrum & Paulum, & reliquos Apostolos coniugatos fuisse, excepto Ioanne, quanquam in Vaticano codice, & quibusdam aliis vetustis non habetur nomen Pauli. **C L E M E N S** quoque Alexandrinus libro 3. Stromatum circa medium, aliquos Apostolorum, & nominatim Paulum vxorem habuisse asserit ex locis citatis. Sed quidquid de hoc sit, certum est eos ex Apostolis, qui vxorem habuerunt, postquam vocati à Christo fuerunt, officio coniugali renunciaisse, ut beatus Hieronymus docet lib. I. in Iouinianum, & satis colligitur ex cap. 19. Matth. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequunt sumus te.* Statim enim Dominus explicans, quid sit relinquere omnia; adiicit: *Omnis qui relinquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, &c.*

Ad locum igitur illum I. Cor. 9. vbi dicitur: *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Dico Apostolum non de vxoribus, sed de piis fœminis loqui, quæ sequabantur Apostolos, & eis ministrabāt, sicut etiam Dominum sequebantur Luc. 8. Ita ferè omnes Græci & Latini exponūt, vt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Haymo, & alij in hunc locum. Necnon Tertullianus libro de Monogamia, B. Hieronymus libro I. in Iouinianum, B. Augustinus libro de opere Monachorum, cap. 4. & 5. Et certè proprietas linguae Græcae hoc satis ostendit. Nam dicit ἀστερίῳ γνώμῃ περιάγειν, sine ullo articulo. Si enim de uxore loqueretur, diceret τῇ γνώμῃ, uxor enim certa quædam mulier est. Adde, quod **C L E M E N S** Alexandrinus, qui unus ex veteribus exposuit hunc locum de uxoribus Apostolorum, ibidem addit, quod etsi uxores erant, tamen cessauerat inter eos coniugale officium, & loco fororum,

sororum, non loco vxorum ab Apostolis habebantur, ~~qui~~
nō nobis sufficit contra hæreticos.

Occurrunt Petrus MARTYR in cap. 9. primæ ad Corinthios probat tripliciter Apostolū loqui de vxoribus. PRIMO, qui alioqui non diceret, sorores mulieres, sed sorores tantum cùm constet omnē sororem esse mulierem. SECUNDO, qui non diceret, potestatem circumducendi mulietem, quod dicitur auctoritatem, sed diceret consueisse mulieres sequi, legimus Luc. 8. TERTIO, quia si illæ mulieres aluisserent Apostolos ex suis facultatibus, falsum esset quod Apostoli possent sumptus à populis, ergo loquitur de uxoribus, que se quebantur Apostolos viros suos, & nō eos alebant, sed ab eo alebantur ex sumptibus populorum.

Ad PRIMVM dico, si vocari sorores mulieres, sicut Ad I. dicuntur viri fratres, nisi quod Paulus, ut sāpe solerit, mutavit ordinem, & dixit sororem mulierem, pro mulierem sororem. Ad SECUNDVM dico, potestatem, de qua Paulus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem eas circumducendi, si sequi vellent, vel si in mulieres erat potestas, dicam. Apostolos habuisse auctoritatem in eas mulieres, non virorum in uxores, sed doctorum in discipulas. Ad TERTIUM dico, vel eas mulieres non fuisse diuites, & non ministrae pecunias, sed obsequium tantum, accipiētes pecunias a populis, quibus Apostoli prædicabant, vel fuisse diuites, & aliis Apostolos, sed nō semper fuisse cum Apostolis, & id est Apostolos aliquando fuisse nutritos à populis, aliquando ab illis mulieribus.

Ad locum ex Phil. 4. dico duo. PRIMO, non de viro Philippi hīc agi, sed de viro aliquo, quem Paulus vocat Germanum conparem, seu coningem, aut coningalem: αἴγις οὐδείς significat eum, qui idem iugum trahit. vocat autē eum coniugem, vel quia erat maritus alicuius ex fœminis antea nominatis, id est, Euodiae aut Synthiches, ut Chrysostomus & Theophylactus dicunt, vel quia erat socius suus in Euangelij prædicatione, ut Theodoreetus, & Haymo docent, vel certè est nomen proprium viri, ut vult Oecumenius.

Quod autem ita sit, id est, quod non loquatur de uxori, suadent hærationes. PRIMA, quia plurimi veterum assertant Paulum non habuisse uxorem, ut Hieronymus in epistola ad Eusto-

Eustochium de virginitate, Hilarius in Psal. 127. Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio, cap. 4. Epiphanius hæresi 58. Valesiorum, Ambrosius in cap. 7. prioris ad Corinth. & in exhortatione ad virgines, Tertullianus in utroque libro ad uxorem. Item Chrysostomus, Theodoreetus, aliquique veteres omnes in hunc locum, excepto Clemente Alexandrino. **S E C Y N D A**, quia, ut Theophylactus notauit, si de uxore loqueretur, non diceret γνώσης, sed in genere fæminino γνῶσις. non enim tam politus erat Apostolus ut Atticis mis uteretur. **T E R T I A**, quia, ut dicit Oecumenius, non est credibile uxorem Pauli habuisse Philippis, & nō potius in Iudea, vel certè in Tarso Cilicie, vnde Paulus oriundus erat. **Q U A R T A**, quia, ut Ambrosius notauit in 1. Cor. 7. Paulus adolescens à Domino vocatus est, quo tempore non est credibile eum uxorem habuisse, & certū est postea non accepisse. **Q U I N T A**, quia, ut notauit Theodoreetus, Paulus 1. Cor. 7. ponit se inter eos qui non habebant uxores: *Innuptis, & viduis, inquit, de eo, bonū est illis si sic permanferint, sicut & ego; quod si non se continent, nubant.* At epistola ad Corinthios scripta est ante epistolam ad Philippenses, ut idem Theodoreetus ostendit in prefatione commentarij in epistolas: Igitur vel Paulus accepit uxorem postquam scripsérat ad Corinthios, quod est incredibile, aut non habuit uxorem cùm scriberet ad Philippenses.

Dico **S E C Y N D O**, quòd si constaret Paulum loqui de uxore sua, tamen certum etiam nobis esse deberet, eum ab uxore separatum fuisse, quoad totum. Quod enim Paulus vitam continentem duxerit cùm Euangeliū prædicabat, evidenter deducit ex 1. Cor. 7. B. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio, cap. 4.

A R G U M E N T U M **Q U I N T U M** & **v l t i m u m** Caluini sumitur ex historia Socratis lib. 1. cap. 8. & Sozomeni lib. 1. cap. 22. vbi dicunt, quòd cùm Nicænum Concilium legem ferre vellet, ne liceret Cleticis cù uxoribus suis dormire, surrexit Paphnutius confessor, & contradixit, & Synodus tota in eius sententiam iuit, & continentiam ab uxore in arbitrio cuiusque reliquit.

R E S P O N D E O, hoc testimonium aliquid habere momēti pro sc̄entia Græcorum, sed nullum penitus pro errore Lu-

HH^h therā-

theranorum. Nam uterque auctor in eodem loco testatur Paphnutium adiecissem, bonum sibi videri, ut secundum antiquos Canones prohibetur Clericis, ne post ordinationem ullo modo vxores ducant, sed solum permittantur ut illis quas ante ordinationem acceperunt. Nonne hoc totum contra Lutheranos est, qui post sacerdotium vxores ducunt?

At neque pro Graecorum errore magnum est praesidium in hoc testimonio Socratis, & Sozomeni; nam vel totum est falsum quod isti de Paphnutio tradunt, vel certe (quod magis credo) tale aliquid tunc accidit, sed non bene ab istis narratum est. Fortasse voluerunt Patres Concilij grauiores penas constituere in Clericos incontinentes, quales tunc aliquos fuisse ex Epiphanio, & Ambrosio locis notatis intelligunt, & Paphnutius suasit non esse id faciendum.

At quod Concilium statuerit, continentiam esse reliquendam in arbitrio Clericorum, nullam habet apparentiam, nec debet illis auctoriibus credi. PRIMO, quia Sozomeni historia a S. Gregorio reprobatur lib. 6. epist. 31. Quia inquit Gregorius, multa mentitur. Socrates autem, ut omittam cetera, lib. 5 sua historiae, cap. 21. tria clara mendacia dicunt. PRIMO, licuisse suo tempore unicuique celebrare Pascha quando vellet, nec de hac re Ecclesiam aliquid certi fuisse. At constat, Nicenam Synodum statuisse ut Pascha semper celebraretur prima Dominica post quartadecimam Iunam primi mensis; cuius Canonis meminerunt Eusebius haeres. 70. Audianorum, & Ambrosius lib. 10. epistola 87. Eusebius in vita Constantini, Athanasius in libro de Synodis Arimini, & Seleuciae. SECUNDUM dicit, in Romana Ecclesia non ieunari ante Pascha, nisi tres hebdomadas, & tamen vocari Quadragesimam. At S. Leo, qui eodem tempore nixit, quo Socrates, serm. 4 de Quadragesima dicit, Romae ieunari XL. dies, & idem dicit Gregorius hom. 16. in Evangelia, & certissimum est. TERTIO dicit, Romae non ieunari in Sabbatis, cum tamen contrarium sit certum ex Augustino epistol. 86. & 118. ad Ianuarium. Si ergo in historia suis temporis Socrates tam aperte mentitur, vel certe refert quae non scit, quae fides adhiberi illi potest in historia Concilij Nicenae, quod annis plusquam centum ante eius statutum celebratum est?

PRAE-

PRAETEREA, historia ista de Paphnutio manifestè pugnat cum verbis Epiphanij contra hæref. 59. vbi ait, esse contra Canones Ecclesiasticos, quod Sacerdos vel Diaconus liberos gignat; & cum verbis Hieronymi libro contra Vigilantium, vbi dicit, in Oriente, & Ægypto nō esse licitum Sacerdotibus & Diaconis vxoribus vti, quod sanè falsum est, si Nicæna Synodus, in Oriente paulò ante celebrata, vxoru vsum illis concessit. vel ergo Epiphanius, & Hieronymus, vel Socrates, & Sozomenus mentiuntur. At certè magis credendū est Epiphanio, & Hieronymo viris sanctis, & qui vicini fuerunt temporibus Concilij Nicæni, quam Socrati & Sozomeno hæreticis, & multò recentioribus.

DE INDE, quomodo cohæret ista narratio de Paphnutio cum can. 3. Concilij Nicæni, vbi prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam domi mulierem habeant præter matrem, sororem, amitam? & hoc argumento cōuictus Lutherus, in libro de Conciliis parte prima dicit, Patres Concilij noluisse sequi sententiam Paphnutij, quamuis etiam contrarium Lutherus alibi scripscerit.

DENIQUE, qui fieri potest, vt nec Russinus, qui multa de Concilio Nicæno & Paphnutio scriptis lib. I. historiæ Ecclesiastice, nec vllus aliis ex veteribus ante Socratem huius rei meminerit, nec vllum vestigium tantæ rei in actis Concilij exstet? Quod autem quidam dicunt, Suidam, qui huius rei meminit in vita Paphnutij, fuisse paulò post tempora Constantini, apertè falsum est; nam Suidas aliquot seculis Socrate posterior est, quippe qui scribit etiam vitam Ioannis Damasceni.

C A P V T XXI.

Soluuntur argumenta Philippi.

NVNC ad argumēta Philippi veniamus. Argumentum PRIMVM; Coniugium est de iure diuino, Gen. 1. Crescite & multiplicamini. Et de iure naturæ, vt patet ex naturali appetitu generandi; at ius diuinum & naturæ non potest tolli vlla humana lege. Et confirmatur. Nam sicut nemo potest obligari à se vel ab alio

HHh 2 ad